

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones  
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo LXIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)



& ipse qui exiit. erat nox. Cum ergo exisset & nox erat ih̄s. nunc clarificatus est filius hominis. Dies ergo diei eructauit uerbum. id est x̄ps discipulis fidelibus. ut audirent eum. & amarent sequendo. & nox nocti adhaeruit scientiam. id est iudas iudaeis infidelibus. ut uenirent ad eum & adprehenderent persequendo; sed iam hinc in sermone dñi qui est factus ad pios. antequam teneretur ab impiis. intentior flagitatur auditor. & ideo eum praecipitare non debet. sed differre potius disputator.

**INCIPIT SERMO LXIII. DE EO QUOD DICIT ET DŌS CLARIFICATUS EST IN EO; SĪ DŌS CLARIFICATUS EST IN EO ET DŌS CLARIFICAUIT EUM IN SEMETIPSO ET CONTINUO CLARIFICAUIT EUM.**

**I**ntendamus mentis obtutum & adiuuante dño dñm requiramus; diuini cantici uox est; quaerite dñm & uiu& anima uestra; quaeramus inueniendum. quaeramus inuentam; h̄c inueniendus quaeratur. occultus ē. ut inuentus quaeratur. inmensus est; unde alibi dicitur; quaerite faciem eius semper; sciat enim quaerentem in quantum capit. & inuenientem captiorem facit. ut rursus quaerat implese ubi plus capere coepit. Non ergo ita dictum est. quaerite faciem eius semper. quem admodum de quibusdam. Semper discentes & ad ueritatis scientiam numquam peruenientes. sed potius sicut ille ait. Cum consummauerit homo tunc incipit. donec ad illam uitam ueniamus. ubi sic impleamur. ut capaciores non efficiamur. quia ita perfecta erimus. ut iam non proficiamus; Tunc enim ostendetur nobis. quod sufficit nobis. hic autem semper quaeramus & fructus inuentionis non sit finis inquisitionis; neq. enim propterea non semper. quia hic tantū. sed ideo hic semper dicimus esse quaerendum. ne aliquando hic putemus ab inquisitione cessandum; Nam & de quibus dictum est. semper discentes & ad ueritatis scientiam numquam peruenientes. Hic sunt utiq. semper discentes. cum uero de hac uita exierint. iam non erunt discentes. sed erroris sui mercedem recipientes; sic enim dictum est. Semper discentes & ad ueritatis scientiam numquam peruenientes. Tamquam diceretur. semper ambulantes & ad uiam numquam peruenientes; nos autem semper ambulamus in uia donec eo ueniamus quo ducit uia; nusquam in ea remaneamus donec perducatur. ubi maneamus. Atq. ita & quaerendo tendimus & inueniendo ad aliquid peruenimus. & ad id quod restat quaerendo & inueniendo transimus quo usq. ibi fiat finis quaerendi. ubi perfectioni non superest intentio proficiendi; haec prae loquitio dilectissimi intentam uestram fecerit caritatem ad istum dñi sermonem. quem ad discipulos habuit ante passionem. profundus est enim. & utiq. ubi multum laboraturus est.



disputator non remissus esse debet auditor; quid ergo ait dominus postea quam  
 iudas exiit. ut citius faceret quod erat factururus. hoc est dominum traditurus;  
 quid ait dies cum exisset & nox: quid ait redemptor. cum exisset & uenditor.  
 Nunc inquit clarificatus est filius hominis; quare nunc. numquid quia exi  
 it qui tradat. quia imminent qui teneant & occidant; ita ne nunc clarifica  
 tus est. quia prope est ut amplius humilietur qui iam impendat ut alligetur.  
 ut iudicetur. ut condemnetur. ut inrideatur. ut crucifigatur. ut interima  
 tur. haec est clarificatio. an potius humilitatio. Nonne quando miracula  
 faciebat. ait tamen de illo iste ipse iohannes. spiritus non erat datus quia ihesus  
 dum erat glorificatus; Tunc ergo nondum erat glorificatus cum mortuos  
 suscitaret. & nunc est glorificatus cum mortuis propinquaret. Nondum erat  
 glorificatus faciens diuina; & glorificatus est passurus humana. Mirum  
 si hoc dominus ille magister significabat & docebat; his uerbis altius est perseru  
 tandum altissimi dictum. quise aliquantum manifestat ut inueniamus.  
 & iterum occultat ut inquiramus. & de inuentis ad inuenienda tamquam  
 passibus innitatur; uideo hic aliquid quod praefigurat magnum aliquid;  
 exiit iudas & clarificatus est ihesus; exiit filius perditionis. & clarificatus est  
 filius hominis. Ille quippe exierat propter quem dictum eis erat. & uos  
 mundi estis. sed non omnes. exeunte itaque in mundo. omnes mundi reman  
 serunt. & cum suo mundatore manserunt; tale aliquid erit cum uictus a  
 christo transierit hic mundus. & nemo in populo christi remanebit in mundus.  
 cum zizanius atritico separatus iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui.  
 hoc futurum praeuident dominus & nunc significatum esse contestans. disce  
 dente iuda tamquam zizanius separatus. remanentibus tamquam tritico  
 apostolis sanctis. Nunc inquit clarificatus est filius hominis. tamquam diceret;  
 ecce in illa mea clarificatione quod erit. ubi malorum nullus erit. ubi bo  
 norum nullus perit; sic autem non est dictum. nunc significata est clari  
 ficatio filii hominis. sed dictum est. nunc clarificatus est filius hominis.  
 quem admodum non est dictum. per & ra significabat christum. sed per & ra erat  
 christus; nec dictum est bonum semen significabat filios regni. aut zizania  
 significabant filios maligni. sed dictum est. bonum semen hi sunt filii  
 regni. zizania autem filii maligni; sicut ergo sola loqui scriptura. res sig  
 nificantes tamquam illas quae significantur appellans. ita loquutus est  
 dominus dicens. Nunc glorificatus est filius hominis. postea quam separato  
 inde nequissimo. & secum remanentibus sanctis significata est glorificatio  
 eius. quando separatis iniquis manebit in aeternitate cum sanctis. Cum autem  
 dixisset. nunc clarificatus est filius hominis. adiunxit. & dominus clarificatus



est in eo; ipsa est enim clarificatio filii hominis. & dñs clarificatur in eo; si enim non ipse in se ipso. sed dñs in illo clarificatur. Tunc illum dñs in se clarificat; Deniq; tamquam ista exponens. adiungit & dicit; si dñs clarificatus est in eo & dñs clarificauit eum in semet ipso. hoc est si dñs clarificatus est in eo. quia non uenit facere uoluntatem suam sed uoluntatem eius qui misit eum. & dñs clarificauit eum in semet ipso. ut natura humana in qua est filius hominis. quae a uerbo aeterno suscepta est. & iam in mortalitate donatur. & continuo inquit clarificauit eum. Resurrectionem scilicet suam non sicut nostram in fine saeculi sed continuo futura hac adtestatione praedicens; ipsa est enim clarificatio de qua euangelista iam dixerat quod paulo ante commemorauit. Quia propterea nondum erat sp̄s datus. illis itiq; nouo modo in eis quibus fuerat eodem modo post resurrectionem credentibus dandus. quia ih̄s nondum erat clarificatus. id est nondum fuerat mortalitas in immortalitate uestita; potest & de ista clarificatione dictum uideri. nunc clarificatus est filius hominis. ut quod ait nunc. non ad imminentem passionem sed ad uicinam resurrectionem pertinere credatur. tamquam fuerit factum quod erat tam proxime iam futurum; hodie dilectioni uestre ista sufficerint; cum donaue- rit dñs. de consequentibus disseremus.

**INCIPIT SERMO LXIII DE EO QUOD DIXIT FILIOLI ADHUC MODICUM UOBIS CUM SUM; QUAE RITIS ME ET SICUT DIXI IUDAEIS QUOD ECOQUO UOS NON POTESIS UENIRE ET TUOBIS DICO MODO.**

**A**duertenda est carissimi dominicorum uerborum ordinata conexio; Cum enim superius dixisset. postea quam iudas egressus est. & ab illis sc̄orum & iam corporali conuersatione seiunctus est. Nunc clarificatus est filius hominis & dñs clarificatus est in eo. quod siue futurum regnum significans dixit quando mali separabuntur ab onis. siue quod eius resurrectio tunc futura esset. id est differenda non esset sicut in fine saeculi nostra differtur. ac deinde addidisset. Si dñs clarificatus est in eo & dñs clarificauit eum in semet ipso & continuo clarificauit eum. quod sine ulla ambiguitate de sua resurrectione continuo futura testatus est. adiecit & ait; filioli adhuc modicum uobis cum sum; ne putarent ergo quod sic eum clarificaturus esset & dñs. ut non eis coniungeretur ulterius ea conuersatione qua in terra est. Adhuc modicum inquit uobis cum sum. tamquam diceret; Continuo quidem resurrectione clarificabor. Non tamen continuo ascensurus in caelum. sed adhuc modicum uobis cum sum; sicut enim scriptum est in actibus apostolorum. fecit cum eis post resurrectionem .xl. dies intrans & exiens.